

te de remissione peccatorum : « Neque ipsa, inquit, remissio peccatorum sine merito est; si fides hanc impetrat ». Et lib. 1. contra adversarium legis et prophetarum, cap. 17. « Fides, inquit, impetrat charitatem ». Et in epistol. 106. « Fides meretur gratiam bene operandi ». Et tractat. 44. in Joan. « Hæc, inquit, confessio meruit justificationem ». Loquitur igitur Augustinus de fide, quæ præcedit charitatem, et remissionem peccatorum, et illi meritum impetrationis attribuit.

At S. Augustinus cum dicit, fidem mereri justificationem, intelligit, fidem ostendere a quo sit petendum auxilium, unde justificatio, et post justificationem merita acquirantur. Hæc verò responsio indigna est viro docto, qualis est is, cum quo disserimus. Nam si id esset mereri justificationem, posset etiam Verbum Dei, et concionatores, et ipse Deus dici, mereri nobis justificationem. Deinde S. Augustinus explicat, quomodo fides mereatur, cum dicit, eam impetrare remissionem peccatorum. Denique et ipse Augustinus, et reliqui Patres omnes non solum fidei, sed etiam dilectioni, et penitentiae tribuunt meritum justificationis. Certe autem dilectio, et penitentia non ostendunt, a quo sit petendum auxilium.

At S. Augustinus improprie loquitur de merito, proinde nulla est causa, cur eum in hac parte imitari velimus. Si semel tantum, aut iterum hæc vox uni Augustino excidisset, fortasse tolerari posset ista responsio. At quod omnes Patres, quorum plerique Latinam linguam ab ipsa nutrice didicerant, in re tam gravi perpetuo improprie loquantur, incredibile videtur. Vide Tertullianum lib. 4. in Marcionem, Cyprianum serm. 6. de oratione Dominica, Ambrosium lib. VII. et X. in Lucam, et lib. II. de penitentia, cap. 3. Hieronymum lib. II. contra Pelagianos, Augustinum epistol. 89. quæst. 4 tract. 44. in Joan. in Psalm. L. et alibi passim. Et Gregorium I. Reg. lib. III. cap. 4.

Deinde non est potissima nostra quæstio, an opera ex fide, quibus disponimur ad justificationem sint merita proprie, vel improprie dicta, sed an sint hoc nomine appellanda, et nos quidem probamus ita esse vocanda, quoniam sic ea vocant omnes Latini Patres. Neque argumenta illa de relatione meriti, et mercedis convincunt, fatemur enim

(1) Rom. IV, 4. — (2) Joel. II, 13.

omni merito respondere mercedem, sed sicut meritum quoddam esse dicimus ex congruo, ita mercedem quamdam esse dicimus ex congruo, quæ magis debeatur ex gratia, quam ex justitia. Nam ipse etiam Apostolus ad Rom. IV. cum dicit : *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum* (1). Satis aperte indicat, esse quamdam mercedem, quæ imputari possit secundum gratiam, non secundum debitum.

Ad illud autem quod objiciebatur, meritum de congruo non fundari in dignitate operis, sed in sola promissione Dei, Respondemus, contrarium esse verum. Nam si promissio non requirat ullam conditionem operis, tunc quidem nullum inde oriatur meritum; ut si Rex egenti alicui promittat in singulos annos certum nummorum numerum sine ulla conditione; debentur egenti illi pecuniæ regis, sed absque ullo ejus merito; at si promissio contineat operis conditionem, oriatur inde meritum, etiamsi opus illud alioqui non sit per se æquale mercedi. Vere enim, qui opus illud fecerit, convenire poterit promissorem, ac dicere, se meruisse præmium ab illo promissum.

Quare si meritum de congruo fundaretur in promissione cum conditione operis, esset vere meritum ex justitia, et potius de condigno, licet imperfecte, quam de congruo nominandum. Et ideo nos existimamus, potius fundari meritum de congruo in aliqua dignitate operis, quam in promissione. Nam promissiones, quibus Deus veniam penitentibus pollicetur, non tales sunt, quales illæ quibus bene operantibus coronam gloriæ pollicetur. Nam istæ posteriores verum pactum continent: quod Deus facit cum homine tanquam cum operario de mercede reddenda; illæ autem priores non proprie continent pactum de mercede reddenda, sed assertionem rei certo futuræ, ut homo securus reddatur veniæ obtinendæ, si penitentiam egerit.

Id autem ita esse intelligi potest, Primo ex eo, quod vita æterna sæpe vocatur merces, bravium, stipendium; justificatio numquam vocatur, nisi gratia et misericordia. Secundo ex eo, quod Scripturæ cum penitentibus veniam promittunt, reddunt rationem, quia Deus misericors est: ut Joel. II. *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, et misericors est etc.* (2). At cum pro-

mittunt bene operantibus vitam æternam, non tam allegant misericordiam, quam justitiam, et fidelitatem, ut I Timoth. IV. *Quam reddet mihi justus judex.* Quod si I Joan. I. dicitur: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata* (1). Sciendum est eum loqui de remissione venialium, quæ justo Dei judicio redditur bonis meritis justorum, ut S. Augustinus docet in libro de correptione et gratia, cap. 13. Tertio idem patet ex eo, quod Prophetæ, cum promittunt indulgentiam operibus penitentiae, addere solent particulam dubitantem, ut, Quis Scit, Forsan etc. ut patet Joelis II. Dan. IV. Jonæ V. At nihil tale additur in promissione vitæ æternæ meritis justorum. Verum est igitur, quod diximus, promissiones indulgentiæ non esse proprie pacta, in quibus fundari possit meritum penitentiae; sicut promissiones vitæ æternæ vera sunt pacta, in quibus fundatur meritum operum bonorum, quæ a justis fiunt.

Porro negamus, nullam esse in merito de congruo dignitatem. Nam cum sit opus illud a Deo, et sit opus gratiæ, et donum Spiritus sancti, quo pacto fieri potest, ut nullam habeat dignitatem? Illud quidem est verum, totam ejus operis dignitatem pendere a gratia, et ideo non tam esse hominem, qui meretur, quam ipsam gratiam, quæ (ut loquitur Augustinus in epistol. 106.) meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici.

Neque tamen hinc jam licebit colligere, hoc esse meritum de condigno; nam etiamsi est a Deo, tamen non est a Deo intus inhabitante per gratiam justificantem, sed extrinsecus excitante et adjuvante, ut idem Augustinus docet in epistol. 105. et præterea est a Deo incipiente et inchoante, nondum complente et perficiente: proinde est meritum inchoatum et imperfectum; et habet aliquam dignitatem, et proportionem ad suum finem, sed non tantam, quantam requirit meritum de condigno. Denique deest, ut diximus, pactum proprie dictum, sine quo nullum potest esse meritum ex justitia, sive de condigno.

Ad illud autem S. Augustini præfatione in Psal. XXXI. « Nihil boni fecisti, et datur tibi remissio peccatorum, attenduntur opera tua, et inveniuntur omnia mala ». Respondeo, sanctum Augustinum per remissionem intelligere totam justificationem ab initio primæ

dispositionis, quæ est fides, usque ad plenam reconciliationem. Tunc enim Deus incipit remittere peccata, cum inspirat fidem, quæ orando impetrat cætera dona. Itaque illud: « Nihil boni fecisti, intelligitur ante fidem: sicut etiam id quod sequitur, attenduntur opera tua, et inveniuntur omnia mala ». Neque enim mala dici possunt opera, quæ fiunt ex fide.

Id ita esse patet ex præcedentibus et sequentibus. Sic enim in præcedentibus ait: « Quomodo ergo justificatur homo ex fide sine operibus? respondet ipse Apostolus, propterea hoc dixi tibi, o homo, ne quasi de operibus tuis præsumere videreris, et merito operum tuorum te accepisse fidei gratiam. Noli ergo præsumere de operibus tuis; ante fidem noveris, quia peccatorem te fides invenit etc. ». In sequentibus etiam ait: « Debebat tibi Deus vindictam, dat indulgentiam. Incipis ergo esse in fide per indulgentiam. Jam fides illa assumpta spe, et dilectione incipit bene operari, etc. » Vides quomodo remissio peccatorum, id est, indulgentia, tunc incipit, cum incipit fides? proinde ante remissionem peccatorum, quæ inchoatur in fide, nihil boni fecimus, quia ante fidem nihil boni fieri potest. Ex fide enim incipiunt quæcumque sunt bona. In eundem sensum scribit Augustinus in epistol. 105. justitiam numquam vocari mercedem, quoniam accipit justitiam pro toto beneficio justificationis, ita ut in ea includatur etiam fides, quæ sola non potest esse merces, cum eam nulla omnino merita, neque de congruo, neque de condigno, præcedant. Cætera omnia dona et gratiæ, et mercedis nomine appellari possunt. Hinc igitur patet explicatio omnium testimoniorum, quæ docent hominem justificari gratis. Significant enim nulla esse merita ante donum fidei.

CAPUT XXII.

Solvitur argumentum quartum, ex Scripturis depromptum pro sola fide.

Quartum argumentum depromunt ex illis testimoniis, quæ docent, omnes qui credunt justificari et salvari. Quod quidem non esset infallibiliter verum, si non sufficeret sola fides. Joan. III. *Ut omnis qui credit in eum non*

(1) I Tim. IV, 8; I Joan. I, 9.

pereat, sed habeat vitam æternam. Actor. x. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere omnes, qui credunt in eum.* Actor. XIII. *In hoc omnis, qui credit justificatur.* Roman. I. *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti.* Rom. x. *Omnis qui credit in eum non confundetur.* I Joan. v. *Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est (1).*

Respondeo : particula Omnis, potest in primis recte exponi negative, ut sensus sit, omnis qui credit, justificatur, id est nemo sui fide justificatur. Quod illustrat aptissima similitudine S. Augustinus, explicant illud, *Deus vult omnes salvos fieri*, lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 8. nam si in una aliqua urbe unus tantum Grammaticæ Doctor esset et diceretur omnes in hoc urbe grammaticam discunt ab isto : non significaretur, omnes in ea urbe Grammaticam discere, sed neminem discere sine illo. Sic igitur omnis qui credit, justificatur, quia nemo justificatur, nisi credat. *Sine fide enim impossibile est placere Deo.* Et hoc videtur Apostolus significare ad Roman. I. cum dicit, Evangelium esse virtutem Dei in salutem omni credenti; nam in tota illa disputatione probare nititur, fidem Christi necessariam esse omnibus, et sine illa neque Judæos per legem Mosis, neque gentiles per lumen rationis posse coram Deo justificari. Idem etiam videtur esse sensus illius loci Joan. III. *Ut omnis qui credit in eum non pereat*; significat enim missum esse filium Dei a Patre in mundum, quoniam sine ejus adventu et fide, nemo salvari potuisset.

Secundo, potest eadem particula Omnis, referri ad omnia hominum genera, ut significet, fidem Christi esse viam ad salutem apertam toti mundo, Judæis, Græcis, Barbaris, non autem uni tantum genti, ut erat lex Mosis. Sic enim explicat B. Paulus illud Isaia: *Omnis qui credit in eum, non confundetur*, ad Rom. XX. nam continuo subjungit: *Non enim est distinctio Judæi, et Græci. Nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.* Et ea de causa sæpe Apostolus urget illam particulam, Omnis, ut admoneat Judæos, gratiam Christi non esse ipsorum propriam, sed communem omnibus gentibus.

(1) Joan. III, 16; Act. X, 43; Act. XIII, 39; Rom. I, 16; Rom. X, 11; I Joan. V, 1. — (2) Eccl. II, 14; I Joan. IV, 7; Luc. XVIII, 14; Luc. XI, 10; Rom. X, 13; Heb. V, 9. — (3) Psal. CVI, 20; Joan. XV, 3; Rom. I, 16; I Corin. XV, 1; Jacob. I, 21.

Tertio refertur interdum particula, Omnis, ad singulos credentes, et quidem affirmative, sed tamen non significatur illis sententiis, solam fidem sufficere, sed fidem justificare et salvare, si non desint cætera, id est, fidem ex parte sua semper justificare et salvare, modo addantur alia, quæ simul requiruntur. Id autem ita esse, perspicuum est ex eo, quod in Scripturis etiam de spe dicitur: *Omnis qui sperat in eum, non confundetur.* Ecclesiast. II. et de dilectione: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* I Joan. IV. de humilitate: *Omnis, qui se humiliat exaltabitur.* Luc. XVII. de oratione: *Omnis qui petit accipit.* Lucæ XI. et: *Quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit.* Rom. X. et de obedientia: *Factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis æternæ (2).* Hebr. V. et tamen nemo diceret solam spem, aut orationem, aut humilitatem, aut alia sufficere sine fide.

Itaque sententia Scripturæ est, singulas istas virtutes ex parte sua perducere homines ad salutem, nisi aliunde oriatur impedimentum, aut defectus. Atque hoc ipsum sancti Patres passim docent, cum admonent, non sufficere solam fidem: « Multi, inquit Augustinus tract. 40. in epist. Joan. dicunt, credo, sed fides sine operibus non salvat ». Et S. Prosper lib. I. de vita contemplativa, cap. 49, « Nec opera sine fide, nec fides sine operibus justificat ». Vide alia testimonia infra in disputatione de necessitate operum.

CAPUT XXIII.

Solvitur quintum argumentum ex Scripturis pro sola fide.

Quintum argumentum ducunt ab illis testimoniis; quæ prædicant efficaciam Verbi Dei. Verbum enim sola fide apprehenditur. Psal. CVI. *Misit verbum suum, et sanavit eos.* Joan. IV. *Vos munde estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Rom. I. *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti.* I ad Corinth. XV. *Notum vobis facio Evangelium, quod prædicavi vobis, quod accepistis, in quo statis, per quod et salvamini.* Jacob. I. *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare, animas vestras (3).*

Respondeo : verbum Dei sanat et salvat, sed ut hoc faciat, non satis est ut fide apprehendatur, nisi etiam charitate impleatur. Verbum enim Dei non solum offert promissiones, sed etiam imperat opera facienda. Quare Dominus Matth. VII, comparat hominem audientem verba sua, et non facientem viro stulto, qui ædificat domum super arenam. Præterea verbum, quod fide apprehenditur, non est ipsa salus, sed semen salutis, quod non solum excipi, sed etiam caleferi, et excoli debet, ut fructum faciat. Quocirca recte S. Jacobus non ait, *Suscipite insitum verbum, quod salvabit, sed quod potest salvare animas vestras, si videlicet excipiatur in corde bono, et retineatur cum patientia tempore tentationum, ut dicitur in parabola seminantis, Matth. XIII.*

Sed contra occurrit Lutherus in libro de libertate Christiana, ubi probat, fidem solam cum verbo Dei sufficere. Primum enim (ut ipse dicit) fides implet omnia mandata. Nam audiens in Verbo præcepta et promissa, et prudenter intelligens præcepta non posse servari, confert se ad promissa, quæ docent, omnia esse posita in fide, et credentem in Christum omnia habere. Nam conclusit Deus omnia sub incredulitate, ut omnium misereatur. Et dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus. Roman. XI. et Joan. I. Deinde, fides exhibet Deo summum obsequium, dum credendo confitetur, illum esse veracem in omnibus suis promissis. Deus autem glorificantes se glorificat, ut dicitur, I Reg. II. Unde et Abraham credidit Deo, et reputatum est ei ad justitiam, quia videlicet dedit gloriam Deo plenissime sciens, quia quæcumque promissit Deus, potens est et facere. Denique, fides copulat animam Deo, juxta illud Oseæ II. *Sponsabo te mihi in fide (1)*: et ideo omnia quæ Christi sunt efficiuntur communia cum anima fidei.

Respondeo : hoc argumentum Lutheri ex tribus virtutibus fidei ductum, magis Lutheranos, quam Catholicos lædit. Nam si Deus glorificat nos et justificat, quia summum cultum illi exhibemus per fidem, certe sequitur ut merito fidei, id est, propter virtutem et dignitatem ipsius fidei justificemur. Quod tamen Philippus et Kemnitius, et quotquot sunt hodie Lutherani absurdum, et falsum esse contendunt.

Sed excutiamus breviter fidei virtutes,

quas Lutherus prædicat. Primam illam virtutem, quod videlicet fides impleat omnia mandata, furtim subripuit Lutherus charitati, ut tribueret fidei. Sed vera fides non vivit ex raptu, et ideo clamat verum esse, quod Apostolus dicit, Rom. XIII. *Qui diligit, legem implevit.* Et: *Plenitudo legis est dilectio.* Et quod ipse Dominus ait Joan. XIV. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Et: *Qui non diligit me, sermones meos non servat (2).* Convertit se quidem fides ad promissa, cum videt, legis mandata solis naturæ viribus impleri non posse: et credens, veram esse illam promissionem, petite, et accipietis, a Deo petit spiritum charitatis, per quem fit vere, ut justificatio legis impleatur in nobis. Sed non est hæc promissio, quam vellet Lutherus, ipse enim promissionem quærît, per quam liberetur a debito legis implendæ, et habeatur, ac reputetur justus, quamvis sit omni flagitiorum genere coopertus. Sed hanc promissionem in veris Bibliis, id est, in libro Dei numquam inveniet.

Quod enim ipse allegat, conclusit Deus omnia sub incredulitate, ut omnium misereatur. Et dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in eum, longe aliud significat, quam illud sit, quod ipse somniat. Dicitur enim Deus conclusisse omnia sub incredulitate, quia permisit et Judæos et Gentiles incredulos fieri, ut in utrisque liberandis misericordiam suam ostenderet. Dedit autem potestatem iis, qui credunt in eum, ut filii Dei fiant; proinde non sunt hoc ipso, quod credunt, filii Dei, sed fieri possunt, si renascantur ex aqua et Spiritu sancto, et sic diffusa charitate in cordibus eorum per Spiritum sanctum, qui datus est eis, incipiant dicere Deo, Abba Pater.

Jam vero quod attinet ad alteram virtutem fidei exhibet quidem fides cultum et obsequium Deo, cum dat illi gloriam, credens eum fidelem esse in omnibus verbis suis sed neque sola fides exhibet cultum Deo, cum scriptum sit Matth. V. *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem, qui in cælis est (3).* Et Joan. XXI. de sancto Petro legamus, cum morte sua clarificasse Deum. Neque fidei obsequium placet Deo, nisi fides ipsa per dilectionem operetur. Nam et demones, velint nolint, dant gloriam Deo, dum credunt, illum esse veracem, sed nihil eis prodest obsequium illud coactum. Et nos ipsi, si habeamus om-

(1) Oseæ, II, 20. — (2) Rom. XIII, 8, 10; Joan. XIV, 23, 24. — (3) Matth. V, 16.

nem fidem, charitatem autem non habeamus, nihil sumus.

Itaque Deus glorificat eos, a quibus ipse glorificatur ex charitate, sine qua nihil prosunt omnia, quæ ab invitis deferuntur obsequia. Ejusmodi autem fuit obsequium Abrahamæ, qui usque adeo Deum dilexit, ut etiam filium unigenitum, ut Deo pareret immolare voluerit. Et ideo recte dicit S. Jacobus in epist. cap. 2. fidem Abrahamæ ex operibus consummatam fuisse. Quare non est mirum si talis fides, videlicet perfecta, et charitate formata, ac per dilectionem operans reputata fuerit ad justitiam, id est (ut erat vere) opus existimata, ac iudicata justitiæ.

Porro tertia virtus fidei fortasse caret fundamento. Nam quod legimus Osee II. *Sponsabo te mihi in fide*, non videtur accipiendum de fide, qua credimus Deo, sed de fide, qua Deus præstat promissa. Nam paulo ante dixerat Deus in eodem Propheta: *Sponsabo te mihi in justitia et iudicio, et in misericordia, et in miserationibus*; et mox addidit: *et sponsabo te mihi in fide* (1). Quorum omnium verborum illa videtur esse sententia, sponsabo te mihi juste, misericorditer, atque fideliter. Sed si accipiatur fides pro fide, qua nos credimus Deo, certe sicut sponsamur Deo per fidem, ita conjungimur in matrimonium perfectum et consummatum per charitatem. Non enim fides, sed charitas est vinculum perfectionis Coloss. III. *et, qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*, I Joan. IV (2).

Denique sive per fidem, sive per charitatem, sive (quod est verius) per utramque sponsemur Christo, erunt quidem nostra, quæ Christi sunt, et Christi quæ nostra sunt, ut Lutherus dicit, sed non eo modo, quo ipse dicit. Non enim nostra erit Christi justitia, quia reputabitur nostra, sed nostra erit, quia causa erit justitiæ in nobis inhærentis, nosque vere, et formaliter perficientis, que madmodum nostra mortalitas, et cæteræ poenæ, in quas per lapsum primi parentis incidimus, non fuerunt in Christo per solam reputationem, sed per veram, et realem assumptionem. Lutherus enim parum liberalem sponsam nostrum facit, quem vult ea, quæ nostra sunt, re ipsa sibi assumere, ea vero, quæ sua sunt, nobiscum sola reputatione communicare. Sed de his hæcenus.

(1) Osee. II, 20, 19. — (2) I Joan. IV, 16. — (3) Rom. IV, 14, 16; Gal. III, 22; ibid. V, 4.

CAPUT XXIV.

Solvitur argumentum sectum ex Scripturis pro sola fide.

Postremum argumentum ex Scripturis illis accipiunt, quæ docent, irritam fore promissionem, si lege, aut operibus nitatur, et non sola fide accipiatur. Rom. IV. *Si ex lege hæreditas, exinanita est fides, abolita est promissio*. Et ibidem: *Ideo ex fide, ut firma sit promissio*. Et Galat. III: *Ut promissio ex fide daretur credentibus*. Et Galat. V: *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini* (3).

Respondeo: hoc argumentum solutum est partim cap. 11. in responsione ad quintam objectionem: partim cap. 19. in explicatione vocabulorum legis et operum. Summa est, docet Apostolus, inanem fore fidem nostram, et irritam promissionem Dei, si justificatio haberi possit per solam cognitionem legis, aut opera facta solis naturæ viribus. Nusquam autem docet, justificari hominem ex sola apprehensione promissionis per fidem, aut justificationem non pendere ex conditione operum. Quin potius in infinitis locis Scriptura testatur, et justificationem, et salutem pendere ex conditione poenitentiae, et operum bonorum: *Nisi poenitentiam habueritis*, inquit Dominus, *omnes similiter peribitis*, Luc. XIII. et Matth. XIX. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*.

CAPUT XXV.

Solvitur argumentum ex traditione veterum Patrum pro sola fide.

Quamvis adversarii testimonia sanctorum Patrum non magni pendant, cum ipsorum erroribus manifeste repugnant: tamen cupide illa eadem colligunt, si quando in specie saltem nobis contraria esse judicant. Percurram igitur breviter testimonia, quæ ab illis adferri solent, tametsi non ignorem jam ab uno, aut altero, fortasse etiam a plurimis ex nostris, satis diligenter esse ferme omnia explicata.

Primo loco proferunt ex Origene in cap. 3. epistolæ ad Romanos hæc verba. « Et dixit

(Apostolus) sufficere solius fidei justificationem, ita ut credens quis tantummodo, justificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum ».

Respondeo: Origenes opponit fidem operi externo, ac docet, posse hominem interdum justificari, etiamsi nullum opus externum faciat. Ponit enim exemplum peccatricis et latronis, qui non leguntur jejunasse, aut elemosynas fecisse antequam justificarentur. Itaque per vocabulum Sola, excludit Origenes necessitatem operis externi; quando videlicet, aut potestas, aut occasio deest ejusmodi operis faciendi.

Non excludi autem ab Origene dilectionem et poenitentiam, perspicuum erit ex verbis ejus in cap. 4. ejusdem epist. ad Romanos: « Puto », inquit, « quod prima salutis initia, et ipsa fundamenta fides est; profectus vero, et augmenta ædificii, spes; perfectio autem, et culmen totius operis, charitas ». Et infra: « Credentibus quidem Christo, nec tamen deponentibus veterem hominem cum actibus suis, fides reputari non potest ad justitiam ». Vides igitur non sufficere solam fidem, sed etiam spem, et dilectionem, et depositionem veteris hominis, quod fit per poenitentiam, omnino requiri.

Secundo proferunt ex Hilario illa verba can. 8. in Matth. « Movet Scribas, remissum ab homine peccatum, hominem enim tantum in Jesu Christo intuebantur, et remissum ab eo quod lex laxare non poterat. Fides enim sola justificat ».

Respondeo, non excludit Hilarius per particulam « sola », nisi legem Mosis, de qua loquebatur. Qui enim dicit, lex non justificat sed sola fides, idem est, ac si diceret, ex his duobus sola fides vim habet justificandi, sive, fides justificat, lex non justificat. in quem sensum scriptum est, Actor. VIII. *Nondum Spiritus sanctus, in quemquam illorum venerat sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu* (1), non enim illud, « tantum », excludit fidem, aut alias virtutes, sed solum visibilem Spiritus sancti adventum. Itaque idem Hilarius can. 7. in Matth. cum fide conjungit opera, cum sic loquitur: « Salus gentium omnis in fide est, et in præceptis Domini vita est universorum ».

Tertio, proferunt ex Basilio illa verba in homilia de Humilitate: « Hæc est perfecta, et integra gloriatio in Deo, quando neque ob

(1) Act. VIII, 16.

justitiam suam quis se jactat: sed novit quidem se ipsum veræ justitiæ indignum, sola autem fide in Christum justificatum ».

Respondeo, excludit Magnus Basilius per vocem « sola », opera, quæ fiunt sine fide, et gratia Dei. Hortatur enim ad humilitatem, ac monet, ut unusquisque intelligat, se nihil justitiæ a se habere, sed quidquid habet, donum esse Dei. Itaque sola fide justificari apud Basilius, nihil est aliud, nisi ex dono Dei tantum justificari; non ex operibus prævenientibus omnia dona Dei. Et valde accommodatè ponit exemplum Apostoli, qui ad Philipp. III. non vult habere justitiam suam, id est, opera facta ex gratia fidei. Et ibidem reprehendit ingratos, qui gloriantur de bonis suis, quasi dona Dei non essent. Porro idem Basilius in sermone de fide, posteaquam docuit necessitatem fidei, adjungit etiam necessitatem charitatis. Quod probat, tum ex Apostolo I Corinth. XIII. tum ex ipso Domino qui Joan. XV. non ex fide, sed ex charitate discipulos suos cognoscendos esse prædixit.

Quarto, proferunt ex Ambrosio verba illa in sermon. 43. « Sicut sufficit Judæ ad scelera, Christum deseruisse; ita sufficit latroni ad innocentiam, Domino credidisse ». Item ex comment. in cap. III. ad Roman. « Justificati sunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, sola fide justificati sunt dono Dei ». Item in cap. IV. « Non ergo opus est lex, quando impius per solam fidem justificatur ». Item ibidem: « Sic decretum dicit a Deo, ut cessante lege, solam fidem gratiæ Dei poscerent ad salutem ». Item: « Beatos dicit, de quibus hoc sanxit Deus, ut sine labore, et aliqua observatione, sola fide justificentur apud Deum ». Item in cap. IX. « Sola fides posita est ad salutem ».

Respondeo: Ambrosius (si tamen is est auctor vel sermonis illius, vel commentariorum in Paulum) per vocem Solam, non excludit, nisi opera caremonialia legis veteris, aut certe necessitatem operum externorum. Nam idem auctor sic loquitur in comment. ad IV. cap. ad Hebræos: « magna res est fides et salutaris, et sine hac non est salvari possibile: sed sola fides non sufficit. Operari fidem per dilectionem necessarium est, et conversari digne Deo ».

Idem etiam auctor in cap. III. ad Rom. ex-